

EXPOSITIONIS EPISTOLÆ AD ROMANOS.

G telligantur. tria: & cum Punica lingua sua tria nominant. Latine intelligatur. salus. Chananea enim, hoc est punica mulier, de finibus Tyri & Sidonis egressa, quæ in Euangelio personam gentium gerit, salutem petebat filia suæ, cui responsum est à domino. Nō est bonum panem filiorum mittere canibus. Quod crimen obiectum illa non negans, tanquā confessione peccatorum impetratura salutem filia, hoc est, noue vite suæ. Ita inquit, Domine. Nam & canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tria enim mulieris lingua salus vocantur. Erat enī Chananea. Vnde interrogati rustici nostri, quid sint, punice respondētes Chanani, corrupta scilicet, sicut i tabilibus solet, vna litera, quid aliud respondēt quæ, Chananea? Petens itaque salutem, Trinitatē petebat: quia & Romana lingua quæ in salutis nomine Trinitatem Punice sonat, caput gentium inuenta est in aduentu domini. Et diximus, Chananaeam mulierem, gentiū sustinere personam. Panem autem appellans dominus, id ipsum quod à muliere petebatur, quid aliud quæ Trinitati attestatur? Nanque alio loco eandem Trinitatem in tribus panibus intelligendam esse apertissime docet. Sed hæc verborum consonantia, siue prouenit, siue promissa sit, non pugnaciter agendum est, vt ei quisque consentiat, sed quantum interpretantis elegantiam hilaritas audientis admittit. Illud sanè magna intentione animi considerandum, & totis viribus pietatis amplectendum satis apparet, quoniā si gratia & pax ad implendam Trinitatis cōmōrationem sic ab Apostolo ponitur, ac si spiritus sanctum nominasset: ille peccat in spiritum sanctum, qui desperans vel irridens, atque contēnens prædicationem gratiæ, per quā peccata diluuntur, & pacis, per quam reconciliamur deo, detrahit agere penitentiam de peccatis suis, & in eorum impia atque mortifera quadam suauitate perdurandū sibi esse decernit, & in finē usque perdurat. Quod ergo ait dñs, dimitti homini si verbū dixerit aduersus filiū hominis: si autē verbum dixerit aduersus spiritum sanctum, nō ei dimitti, neque hic, neque in futuro seculo, sed reū esse æterni peccati, non negligenter audiendum est. Constituamus enim aliquem Latinæ linguæ ignarum, cum illo audiente pronūtiatus fuerit ab aliquo spiritus sanctus, querere quid rerum significetur sub isto syllabarum sono. Ab aliquo autem deceptore vel irrisore impio responderi aliquid aliud, quodlibet vile & abiectum, vt querentē decipiat, sicuti à talibus fieri solet ridendi gratia. Illū **I** autem per ignorantiam contempnisse hoc nomen, dū nescit quid significet, & aliqua etiam in hoc conuicia iactitasse: neminem esse arbitror tam vanum & incōsideratum, qui hunc hominem vllō crimine impietatis aspergat: at contra, si tacito nomine, res ipsa verbis quibus potest ad quærentis intelligentiam perducatur, tum vero si aliqua contumeliosa in tantam sanctitatem vel verba vel facta protulerit, reus tenebitur. Quæ cum ita sint, manifestum esse arbitror, eū qui hoc nomine audito, aliam pro alia re significari putauerit: & aduersus eam rem quam significari hoc nomine credidit, verbum dixerit: non hunc sic peccare vt aduersus spiritum sanctum verbum dixisse iudicetur. Itaque si quisquam quærens quid sit spiritus sanctus, audiat ab imperito, hunc esse filium dei per quem facta sunt omnia, qui etiam certa opportunitate temporis de virgine natus sit, & oculis à Iudæis, & resurrexerit: quibus auditis vel neget, vel irrideat quæ dicta sunt: non cum sic teneri putandum est, ac si verbum aduersus spiritum sanctum dixerit: sed potius aduersus filium dei, vel filium hominis, sicut & vocari & esse dignatus est. Non enim quid sit imperito per vocem propositum, sed per rationem expositum, considerandum est: quia ille cum maledicta proferret, ei vtique maledicebat, quem sibi enarratum in

cogitatione intuebatur. Quodlibet autem vocaretur, **K** vtrum res ipsa veneranda, an neganda, vel vituperanda esset, hoc queritur. Hoc modo etiam si quispiā quærat quis sit Iesus Christus: & ea quærenti respondeantur quæ non in filium dei, sed potius in spiritum sanctum conueniunt, quibus auditis ille blasphemet: non vtique aduersus filium, sed aduersus spiritum sanctum verbum dixisse tenebitur. Sed si historicie ac negligenter attenderimus quod dictum est, Si quis verbum dixerit aduersus spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro, quis inueniri poterit cui veniam peccatorum dederit deus? Nam & pagani qui appellantur, etiam nūc totam nostram religionem, quia iam ferro & cædis prohibentur, maledictis contumeliosisque insectantur: & quicquid de ipsa Trinitate dicimus, negando & blasphemando contemnunt. Non enim excipiunt sibi spiritum sanctum quem venerentur, vt in cætera sciant: sed simul aduersus omnia quæcumque solite de trina dei maiestate loquimur, quanto possunt furore impietatis oblatrant. Nam neque de ipso deo patre digna sentiunt, quem partim penitus negant, partim sic fatentur, vt de illo falsa fingendo, non vtique illum, sed sua figmenta venerentur. **L** Multo magis ergo quod de filio dei, vel de spiritu sancto dicimus, suo impio more deridere, quā nostra pia societate colere maluerunt. Quos tamen quantum possumus adhortamur ad Christum cognoscendum, & per ipsum patrem deum: summōque & vero imperatori militandum esse suademus: eosque promissa impunitate præteritorum omnium peccatorum inuitamus ad fidem. Qua in re satis iudicamus, etiam si quid aduersus spiritum sanctum in sua sacrilega superstitione dixerunt, cum Christiani facti fuerint, sine vlla caligine dubitationis ignosci. Iudæi vero quales aduersus spiritum sanctum fuerint, testis est Stephanus, quem ipso spiritu sancto plenum lapidauerunt, cum illa omnia quæ in eos dixit, ipse spiritus dixerit. In quibus verbis apertissime dictum est Iudæis, Vos semp̄ restitistis spiritui sancto. **A& 7.** In illo tamen numero Iudæorum resistentium spiritui sancto, & non ob aliud Stephanum vas eius, nisi quod eo plenus erat, lapidantur, etiam Paulus Apostolus erat, in manibus omnium quorum vestimenta seruabat: quod sibi postea etiam penitendo increpita, eo ipso spiritu iam plenissim⁹, cui primo inanissimus resistebat, & paratus iam lapidari pro talibus dictis, qualium predicatorem ipse lapidauerat. Quid **M** Samaritani? Nonne ita spiritui sancto aduersantur, vt ipsam prophetiam penitus conentur extinguere, quæ per spiritum sanctum ministrata est? Quorum tamen salutē, & ipse dominus attestatur, in eo qui decem leprosis mundatis solus reuersus est vt ageret gratias, cum esset Samaritanus. Et in illa muliere, cum qua ad puteum sexta hora locutus est, & eis qui per illam crediderunt. Post domini autem ascensionem, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est, quanta gratulatione sanctorum recepit Samaria verbum dei. Simonem quoque magum arguens Petrus Apostolus, quod tam male de spiritu sancto senserit, vt eum venalem putans pecunia sibi emendum poposcerit: non tamen ita de illo desperauit, vt veniæ locū nullum relinqueret. Nam benigne etiā vt eum pœniteret admonuit. Ipsa denique catholice Ecclesie tā insignis authoritas, quæ in eodem dono spiritus sancti omnium sanctorum mater toto fecunda orbe diffunditur, cui vnquam hæretico vel schismatico spem liberationis sine corrigat amputauit, cui placādi dei aditum clausit? Nonne omnes ad vbera sua, qui eam superbo fastidio reliquerunt, cum lachrymis reuocati? Quis vero vel de principibus, vel de regibus hæreticorum inuenitur, qui non aduersus spiritum sanctum?